



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmansdorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatæ Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. XL. Magistra artium. Docet & instruit, ac illuminat ad salutem,
omnem sibi devotum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](#)

DISCURSUS XL.

Maria Illuminatrix, Regina est Apostolorum.

Lucem mundi, Apostolos Christus ipse nominavit Exordium
Matth. 5. cap. *Vos estis lux mundi*, quo indicavit, of-
ficium Apostolorum esse, ut lucis instar, prædican-
do Evangelium omni creaturæ, docendo omnes
gentes, & baptizando eos in nomine Patris & Filii & Spir-
itus sancti, omnes in hoc mundo homines illuminarent; ita
S. Augustinus. lib. 1. de Serm. Dom. in monte, cap. 6. Tom.
4. *Hominibus illuminandis Apostoli missi sunt*. Apostoli ergo
sunt quasi illuminatores. Virginis Mariæ nomen, inter-
pretatur S. Bonaventura in Spec. cap. 3. quod sit idem, ac *il-
luminatrix*, & revera supra omnes Apostolos cælum & mun-
dum illuminavit universum, ut proinde sicut sol inter stel-
las in firmamento, sic inter hæc coelestia lumina Regina
Apostolorum, in regno illo æternæ beatitudinis, Virgo Ma-
ria Illuminatrix gloria resplendeat. Veritatem SS. Pa- ss. patres.
trum firmiter authoritas. *Maria*, cuius nomen *illuminatrixem*
sonat, *sol est illuminans*, qui fulgore suo *omnia penetrat*, quia
per omnes Angelos, per *omnes sanctos illuminationem suam de-* S. Bonaven-
monstrat, speculator citatus S. Bonaventura. *Maria presen-* tura.
tia totus illustratur orbis, aude, ut *& ipsa jam cælestis patria* S. Bernardus.
clarissimis *rutilat*, *virginea lampadis irradiata fulgore*, perorat S.
Bernardus. serm. de Assumpt. B. V. *Sicut cetera luminaria* S. Bernardi-
irradiantur à sole, *sic tota cælestis curia à gloriosa Virgine la-* nus Senens.
tificatur, & *decoratur*. loquitur S. Bernardinus Senensis. serm.
de Exaltatione B. V. in gloriâ. art. 1. cap. 3. *O Virgo! in hoc*
tuo natali mundum illuminasti, *cælos latificasti*, *infernum* S. Thomas
à Villâ Novâ
exteristi, *lapsos sublevasti*, *infirmos & tristes in salutem*
& latitiam erexit. inquit S. Thomas à Villâ Novâ. Conc. 3.

de

Richardus
à S. Laurentio
de Nat. B. V. *Sicut sol natus est, ut illuminet totum mundum, sic Maria ad hoc nata est à Deo, ut misericordiam, veniam, gratiam, & gloriam, quasi lumen, à Deo impetraret toti mundo.* scribit Richardus à S. Laurentio. lib. 7. de Laud. Virg. *Maria interpretatur Illuminatrix, quia illuminat in dubio, ipsa est lux nostra, qua post Deum illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; si ergo circumdatus es nebulosus & abconditus es vita tua. Job. 3. respice Illuminatricem, invoca Dei Genitricem, & nomina Mariam.* hortatur B. Albertus Magnus. in cap. 1. Luce. Tu O Virgo! sis Illuminatrix intellectui nostro, & impetra nobis gratiam Spiritus S., quā mediante convenientes dignitatibus Conceptus non obscurè formemus.

CONCEPTUS I.

Confirmatio.
tio, seu De-
ductio.

Fenestram cœli Virginem Deiparam vocat S. Fulgentius serm. de Laud. B. V. Mariæ. Cur fenestram appellat? Fenestra mediatrix est, per quam lux domibus communicatur, illuminatrix, per quam habitacula illuminantur, quō enim majores sunt fenestræ, eò clariora esse cubicula, quotidiana docet experientia; lumine gratiæ Mariam irradiavit Sol justitiæ, Christus Deus noster. Gratiæ plena. Luce. 1. cap. Mariæ Virginis Filius erat lux vera, que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joan. 1. cap. Hanc lucem de cœlo per Mariam tanquam per fenestram, dedit nobis Deus, quā mediatrice omnes homines de nocte erroris & ignorantiarum ad viam vitæ & veritatis ducerentur, quā Illuminatrice omnis peccator ad conversionem serenaretur, & ad salutem. Verba sancti notatu digna sunt. Facta est Maris fenestra cœli, quia per ipsam Deus verum fudit faculus lumen. Adjungit S. Bernardus. Serm. 2. in Assumpt. B. V. Ipsa nostra Mediatrix nostra, ipsa, per quam & nos Dominum Jesum, in domos nostras excipimus. O zelo plusquam apostolico Illuminatrix Maria, Regina Apostolorum!

CON-

CONCEPTUS II.

Per desertum Arabiae in terram promissionis duxit olim Deus populum suum electum Israël per diem in columnâ nubis, per noctem in columnâ ignis. Dominus autem praecebat eos ad ostendendam viam, per diem in columnâ nubis, & per noctem in columnâ ignis, ut dux esset itineris in utroq; tempore; nunquam defuit columnâ nubis per diem, nec columnâ ignis per noctem coram populo. Nónne ut ait Apostolus Paulus 1. Cor. 10. cap. *Omnia in figura contingebant illis.* Cujus ergo hæc columnæ erat figura? S. Bonaventura in Psalm. cap. 3. Israël populi Christiani, columnam verò nubis & ignis Mariæ Virginis figuram esse interpretatur, nam sicut columnâ illa nubis & ignis diu noctuque illuminavit Israëlitas, ut per desertum Arabiae in terram promissionis securi pervenirent, sic Virgo benedicta omnem hominem sibi devotum diu noctuque illuminat, ut per desertum hujus mundi tam immunisdiacerronei, ad cœlestem patriam, non tam laetè & melle fluentem, quam gaudiis abundantem sempiternis tutissimus perveniat; quemadmodum columnâ illa nubis & ignis nec per diem, nec per noctem defuit populo electo, sed continuò luxit indefessa, ita neque suis clientibus dilectis ullo unquam tempore deest piissima misericordia Mater, sed in extincto gratiæ & gloriæ lumine Auxiliatrix serenissima illucescit. Interpretem verè laetem audiamus. Considera, quod Maria est illuminatrix per beneficia lucidissime misericordia sua, per quam multi in nocte hujus saeculi illuminati sunt spiritualiter, sicut quandoq; filii Israël, per columnam ignis illuminati fuerunt corporaliter, juxta illud Psalmi: Deduxit eos in nube &c. Maria est nobis columnâ nubis, quia tanquam nubes protegit ab astu divina indignationis, protegit etiam ab astu diabolica temptationis, sicut iterum dicitur in Psalmo: Expandit nubem &c. Maria quoque columnâ ignis est, illuminans nos, imo illuminans mundum multis misericordiæ

sua beneficiis. Quid nos miseri, nos obtenebrati, quid in nocte
hujus faculsi faceremus, si tam lucidam lucernam, si tam lumi-
nosam columnam non haberemus. exclamat proinde S. Andreas
Cretensis. serm. 2. de Dormit. B. V. O columna vivifica! non
qua extorrem carnalem Israël illuminet, sed qua spiritalem il-
lum, ceu accenso ex speculâigne, divinitus pralucens, adscen-
tia veritatem deducat. O nubes tota lucida, & mons umbro-
sus, non qua improbum, ingratumq. Judaicum populum obim-
bres, sed qua electo illi populo, genti illi sanctæ, materni tuis
pralatis facibus illuceas! O Illuminatrix Christianorum! Re-
gina Apostolorum!

CONCEPTUS III.

Pulchritudinem Mariæ mentes admirantur angelicæ,
intra se invicem colloquentes: Quæ est ista, quæ procedit
quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol. Cant.
6. cap. nec non & Joannes describens Virginem benedictam,
in suâ Apocalypsi. cap. 12. ait. Signum magnum apparuit in
cælo, Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite
ejus corona stellarum duodecim. Quare Angeli & cum eis Jo-
annes angelicæ puritatis Virgo, luminaribus cœli amictam,
stellis scintillantibus, sive minoribus etiam cœli luminibus
undique circumdatam describunt? Dubium solvet liber
creationis mundi: In principio creationis cœli & terra, Te-
nebrae erant super faciem abyssi. Gen. 1. cap. ad depellendas has
tenebras, & ad terram illuminandam, Deo omnipotenti
complacuit ponere in firmamento cœli duo luminaria, solem
& lunam, & stellas, hoc tamen pulcherrimo ordine di-
sposuit, ut alternativè semper terram illuminarent, ita ut
uno occidente, oriretur aliud, sic ad occasum solis, luna
ascendit, ista non lucente, scintillant stellæ, manè dilu-
culò consurgit aurora, decora luminum cœlestium vice re-
gina, quam denuò sol oriens splendore regio subsequitur,
hacque continuâ alteratione universus terrarum orbis illu-
stra-

stratur. Posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram, & præsent diei & nocti, & dividerent lucem ac tenebras. ibid. Soli & lunæ Reginam suam comparant Angeli, sole amictam, lunam sub pedibus, stellis coronatam describit Mariam Virginem S. Joannes, quia juxta mentem Richardi à S. Laurentio, in exordio citati, sicut sol, luna & stellæ creata sunt, & posita in firmamento cœli, ut totum universum illuminent mundum, sic Virgo Maria, ad hoc in Matrem Dei electa est, ut misericordiam, veniam, gratiam, & gloriam, quasi lumen à Deo impetraret toti mundo: omnibus cœli luminibus, sive amictâ, sive circumdata est Virgo Maria, quia in omni tempore, in omni loco, in omni opportunitate, manè & vespere, die ac nocte, mentes hominum cœlestibus illuminare mysteriis, devotas inspirare cogitationes, pia æternorum tabernaculorum desideria in cordibus marianis excitare non definit. *Quis est, super quem sol & luna non luceat? Quis est, super quem misericordia Maria non resplendeat?* erumpit S. Bonaventura, in Spec. B. V. Lect. 10. & assentitur B. Albertus Magnus. Serm. 3. de Nat. B. V. *Sicut per stellam nox illuminatur, ita per beatam Virginem tota Ecclesia est illustrata.* Maria igitur Illuminatrix Ecclesie, Regina est Apostolorum.

CONCEPTUS IV.

Verba docent; exempla movent, præ millibus in sufficientem Mariæ Illuminatricis probam, deserviat pendens in Christi societate latro Dismas: quærite Dismam, qualem ipse in terris vitam duxerit? Respondebit vobis: impia, abominabilis Deo, scandalosa hominibus, execrabilis mundo, dignissima inferno vita mea fuit: Sed quis hominem tam perversum, latronem tam cruentum, adeò illuminavit, ut in cruce suspensus, jam quasi mortem spirans, vivâ fide, Dei Filium confiteri, Christum, spem firmam in eo ponere, charitate in Deum incendi, peccata sua humiliter

OO 2


depre-

deprecari , & Paradisum supplex anhelare non dubitaverit,
unde & in ultimo felix à Salvatore inaudiit: *Hodie mecum eris
in Paradiſo.* Quis, quæſo, scelestum latronem hunc, tam
subitò mutatum ab illo , ad tanta pietatis officia instruxit?
Maria illustrissima Dismæ Illuminatrix fuit , ita concludit
doctissimus Salmeron lib. 10. Tract. 40. ex verbis S. Joannis
Evangelistæ 19. cap. rationem desumens. *Stabat autem
juxta crucem IESU Mater ejus.* Maria dolorosissima Ma-
ter JESU sub cruce Filii stetit ex adverſo Dismæ, in eumra-
dios adeò perspicaces Maria misit Illuminatrix , ut in ulti-
mâ jam mortis suæ horâ, peccata sua adhuc cordialiter de-
flendo , triplicem fidei, spei, & charitatis virtutem piè ex-
ercendo , requiem æternam fit adeptus , & lux æterna lu-
ceat ei , non aliâ , nisi Illuminatrice Mariâ , Apostolorum
Reginâ.

Epilogus.

Dignum itaque, & justum est , ut seraphico in JESUM
& Mariam amore incensi, hortantem sàpè ſæpiùs recolamus
S. Bonaventuram. in Spec. B. V. lect. 3. eidemque filiali de-
votione obsequiamur : *Oremus charissimi , oremus devotissimi , oremus MARIAM , & dicamus : Eja Illuminatrix MARIA!* dignissima Apostolorum Regina , adjuva nos, ut
in gloriâ eternaliter illuminemur. Amen.

*Fert aurora lumen , fitienti dat mare flumin
Sic fluit in animas , Virgo salutis aquas.
Surgens aurora est se colenti , mortis in horâ.
Grata labore quies , nocte serena dies.*



Dl.